

divinæ distinctionis iram in impios emillum : ut est illud beati Petri in Simonem Magum : Pecunia tua tecum sit in perditionem : & ea quæ in Apostatas & hæreticos Ecclesiastica animadversione proferuntur anathemata. De quibus Dominus eisdem Ecclesiæ dicit : Quæcumque alligaveris super terram, erunt ligata & in cælis.

*Flagellum equo, & chamus asino, & virga in dorso imprudentium.* Et quid per equum, nisi superbum? & quid per asinum, nisi luxuriosum quemlibet figurat? Et ideo necesse est ut per divinum flagellum, elatio humilietur superbiorum: ut per infirmitatem carnis, velut per chamum, cohibeatur voluntas lubricorum: ut qui sponte converti nolunt, coacti flagellis convertantur à vitio: sicut ait Propheta, In chamo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

*Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Non hæc invicem sibi contraria debent videri, non respondere stulto juxta stultitiam ejus: & respondere stulto juxta stultitiam ejus: utrumque enim pro temporum & personarum diversitate concordat, dum & stultus contemnitur, quia non percipit sapientiam: & stulta superbia alia decuitur stultitia, juxta quod Apostolus dicit: Factus sum insipiens, vos me cogitatis.

*Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nunciatum stultum.* Potest forte evenire, ut sapiens quilibet stultum in legationem mittat, nesciens quia stultus est; nec tamen ipse sapientie suæ gloriam perdat, in eo quod de ignoto bonum quod audierat, credit. Sed qui hæreticum sciens mittit ad prædicandum populis, claudus est pedibus, & iniquitatem bibens: quia & operis boni foris incessum amittit, & interiora sui sensus haultu stultitiæ deebat.

*Quomodo frustra claudus pulchras habet tibias, sic indecens est in ore stultorum Parabolæ.* Sicut enim frustra claudus habet tibias, cum ambulare non valet; ita indecens est in ore cujuslibet qui indignè se agit sermo compositus, dum per de generem vitam, stultus potius quam sapiens esse approbetur.

*Sicut qui mittit lapidem in acervum mercuri: ita qui tribuit insipienti honorem.* Qui insipienti, id est, hæretico, honorem docendi confert, non minus delinquit, quam qui deos ac delubra gentilium cultu veneratur inani.

*Quomodo si spina nascatur in manu remulenti, sic Parabolæ in ore stultorum. Judicium determinat causas: & qui imponit stulto silentium, iras mitigat.* Spina in manu nascitur remulenti, cum in operibus qui carnalibus servit illecebris, punctiones oriuntur scelerum. Quibus rectè Parabolæ quam stultus proponit assimilatur, quia & si verba prudentiæ stultus dicere novit: in his tamen vitiorum punctiones, quibus vel seipsum, vel proximum lacerat, vitare non novit. Sæpe namque doctor imprudens in eo quod bona dicit aut sanctæ occultè suam laudem ab hominibus, aut vituperationem querit aliorum.

*Sicut canis qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam.* Canis cum vomit, profectò cibum qui peccus deprimebat, ejicit: sed cum ad vomitum revertitur, quo levatus fuerat, rursus oneratur. Et qui admilla plangunt, profectò nequitiam de qua malè satiati fuerant, & quæ menti intima deprimebat, confitendo projiciunt: quam post confessionem dum appetunt, resuntunt.

*Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit stultus.* Hoc exponens Dominus ait: In Judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.

*Dicit piger, leo est in via: & leana in itineribus. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* Multi cum verbum exhortationis audiunt, causantur de diabolo, dicentes velle quidem se viam justitiæ incipere, sed impediri à satana, ne hanc perficere possint. Sicque hujusmodi excusationis sermonibus semper in lecto sui corporis, sicut ostium in cardine vertuntur, & modo exire ad operandum, modo ad quietandum redire proponentes, in suis jacere pravitatibus nunquam desistunt.

*Abcondit piger manus sub ascella, & laborat si ad os suum eas converterit.* Per manus quippe operatio, per os verò locutio designatur. Pigo labor est ad os suum manus suam porrigere, quia desidiosus quisque prædicator non vult hoc operari quod docet. Manum quippe ad os porrigere,

est voci suæ prædicationis opera concordare.

*Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.* Septem viros loquentes sententias, illos dicit qui septiformis Spiritus gratia pleni, sanctæ Scripturæ nobis scientiam ministraverunt. Quibus se sapientiores stultus arbitrat: quia sæpe nonnulli adeo mentem ab agendis his quæ Dominus præcepit, despicientes avertunt: ut ne hæc quidem omnia, vel posse ab homine, vel debere impleri contendat: & quasi sapientiores his qui divina eloquia scripserunt, ea hominem facere non posse autumant, quæ illi dictante Spiritu sancto, hominem facere jussurunt, imo etiam quæ multos homines juvante Spiritu ejusdem gratia perfecisse monstraverunt.

*Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens, & commiscetur rixæ alterius.* Sicut noxius est qui mittit lanceas & sagittas in mortem: ita vir qui fraudulenter nocet amico suo, & cum fuerit deprehensus, dicit, ludens feci. Cum defecerint ligna, extinguetur ignis: & susurrone subtrahit jurgia conquiescunt. Sicut carbonem ad prunas, & ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitatur rixas. Dicit Apostolus: Noli verbis contendere: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Quicumque ergo duplex sensu est, & duobus inter se jurgantibus, mordaci sermone capta fuerit auricula ejus, cito incipit & ipse quasi canis latrare, & contentiones generare, sed hoc sapiens omnimodo vitat.

*Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perveniunt ad interiora ventris.* Susurrone, incertore litis & bilinguè appellat, qui simulat laudem verborum, & querit audire unde jurgia feminet.

*Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile: sic labia tumentia cum pessimo corde sociata.* Quid per argentum sordidum, nisi scientia corrupta, & quid per vas fictile, nisi cor carneum designatur? Quod dum de ipsa fallâ scientia se ornare fatagit, in sua locutione contra veritatem tumet, atque per elationem magister erroris fit.

*Lubis suis intelligitur inimicus, cum in corde traherit dolos.* Quando submisit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitie sunt in corde illius. Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in consilio. Qui fodit foveam, incidet in eam: & qui voluit lapidem, revertetur ad eum. Inimicus iste potest hæreticus non incongruè accipi, qui cum verba prædicationis suæ ficta humilitate submittit, corda innocentium & minus intelligentium demulcendo seducit.

*Lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas.* Lingua fallax, prædicator est mendax. Os lubricum, sermo fucatus, atque à luce justitiæ alienus.

#### Caput XXVII.

**N**E glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies. Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua. Ne securus sis aliquando de futuro tempore: quia & si hodie te Domino servire conspicias, qualis esse in futuro possis, & quomodo vitam finire, prorsus prævidere non vales. Beatus enim homo qui semper est pavidus.

*Grave est saxum, & onerosa arena: sed ira stulti utroque gravior.* Grave quidem satis est, quemquam vel uno aliquo crimine capitali quasi pondere saxi deprinigi, vel quasi glareis arenæ, innumeris peccatis levioribus onerari, sed utroque gravior ira est stulti. Quia nimirum hæc quod certius quam sint mala, patefcunt, eo acutius animum ut castigetur compungunt. Ira verò quia non corporale, sed spirituale est vitium, quò minus deprehenditur, eo amplius gravat. Unde non absolutè iram, sed iram stulti dicit saxo & arena graviolem. Nam sapientes quomodo actus suos ac sermones, ita mentis quoque motus solerter examinare & castigare fatagunt.

*Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati ferre quis poterit?* Non de omni ira dicit, nam de mitissimo ac modesto viro scriptum est: Quia exit à Pharaone iratus nimis: sed de ira stulti, cujus in priori versiculo meminerat, quæ ubi exaudierit, mox viscera pietatis amittit, & furori tantum suo novit frena laxare. Alioquin de utili ac necessaria ira dictum est: Melior est ira rita: quia per

tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis.

*Melior est manifesta correctio, quam amor absconditus.* Amor absconditus, hoc loco amorem dicit illicitum, ut est amor adulterinus, qui ob sui turpitudinem meritò sapientibus ne redargatur, absconditur. Cui jure manifesta correctio præfertur, quia absque ulla contradictione melius est quempiam desiderio corrigendi palam corripere, quam studio simul peccandi clanculo diligere.

*Meliora sunt vulnera diligenti, quam fraudulenta odientis oscula.* Melius est à Domino, qui nos ut filios pater erudire confuevit, vulnera afflictionum perpeti, quam diaboli blandimentis decipi: qui ut nos cælesti hæreditate privet, nostris favere solet erratibus, quasi leve sit malum quod agimus, & ultra modum peccatorum nostrorum læviens tribulatio, quam Domino dispensante toleramus.

*Anima saturata calcabit favum: & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* Anima divitum qui habent consolationem suam, & quibus dicitur à Domino: Væ vobis qui saturati estis, quia esuriatis: pernit auditam cælestis regni dulcedinem. Anima autem eorum qui esuriunt & sicuti justitiam, etiam adversa feculi pro Domino, imò etiam ipsam mortem perpeti, dulce habet: sciens se per poculum amaritudinis ad gaudia perpetuæ salutis esse venturam.

*Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum.* Sicut avis quæ negligit ova, sive pullos quos fovemat, aliarum avium vel animantium rapui dimittit: sic nimirum ille qui custodiam virtutum in quibus proficiebat, deserit: earumdem virtutum quas habere videbatur, immundis spiritibus ipse proditor exiit. Unde alias dicit: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Quod est aperte dicere: Si principis mundi, id est diaboli tentatio tibi forte insititerit, caveto sollicitus, ne à bona operatione cui insudabas desistas.

*Unguento & variis odoribus delectatur cor, & bonis amicis consiliis anima dulcoratur.* Unguentum est nitor gloriæ de conscientia pura, sive charitas divinitus in corda electorum diffusa. Varii verò odores, opinio optima ex diversitate virtutum fragrans.

*Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiseris, & domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ.* Amicus cujusque electi monachi, pater est spiritualis, qui ob hoc quod ei consilium bene vivendi præbet, amicus ejus non incongruè dicitur. Ob id verò quod in his præceptis eisdem spiritualis doctor paret, amicus Domini, qui pater est omnium electorum, rectè appellatur. Sed sicut perniciosum est eidem monacho à consortio sancti patris discedere: ita deterius illi est in die afflictionis suæ, quæ se in conspectu Dei mortificare studet, domum fratris sui ingredi, id est, propinquorum suorum seculariter viventium societatem appetere.

*Melior est vicinus juxta, quam frater procul.* Stude sapientia fili mi, & lætifica cor meum: ut possis exprobranti respondere sermonem. Astutus videns malum, absconditus est: parvuli transientes sustinerunt dispendia. Tolle vestimentum ejus qui spondit pro extraneo: & pro alienis aufer ei pignus. Melior tibi est vicinus aliquis, qui tibi animum fraternam societate connectit, quam germanus frater, qui jura fidei & pietatis communia tecum habere neglexerit. Quod Dominus in Parabolâ vulnerati à latronibus, ejus qui descendebat ab Jerusalem in Jericho, & Samaritani qui curam egit illius, manifestè probavit.

*Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte confurgens, maledicenti similis erit. Testa persillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur. Qui retinet eam, quasi qui ventum tenet, & oleum dextera sua evacuet.* Voce grandi proximo benedicit, qui eum favore superflue laudis exrollit, vel malis videlicet actibus ejus contra justitiam favendo, vel bona plus justo laudando. Sed hic maledicenti assimilatur: quia plurimum lædit eum, cui laudando sive in mala actione confidentiam tribuit, seu in opere recto simplicitatem puri cordis minuit; ut videlicet bonum quod superne mercedis intuitu inchoarat, transitorie laudis amore consumat.

*Ferrum ferro autitur, & homo exacuit faciem amici sui.* Satis bona est collatio & consilium sapientium; ubicumque se invicem consulendo instruant, ferrum ferro autitur.

*Qui servat ficum, comedet fructus ejus: & qui custodit*

est Domini sui, glorificabitur. Ficum servare, est legem divinitus constitutam, inoffenso pedis opere custodire: quod qui fecerit, comedet fructus ejus, dum æternam obedientie suæ recipiet mercedem.

*Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Aquæ dicuntur sanctorum dogmata, in quibus doctores vel auditores, velut in speculo vultus suos prospiciunt: dum non solum in actione, sed etiam in cogitatione fœditatem suam recognoscunt.

*Infernus & perditio non replebuntur, similiter & oculi hominum insatiabiles.* Inferni tormenta non replebuntur, terminum accipiendo: similiter & intentiones eorum qui humana sapiunt, insatiabiles sunt in desiderio peccandi. Qui & ideo sine fine penas luunt, quia voluntatem habuerant sine fine peccandi, si naturam haberent sine fine vivendi.

*Quomodo probatur in conlatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis.* Cor iniqui exquirat mala: cor autem rectum exquirat scientiam. Si contuderis stultum in pila quasi prisanas ferientie desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus. Laus quippe justos cruciat, iniquos exaltat: sed justos dum cruciat purgat: iniquos dum lætificat, reprobos monstrat.

*Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera: non enim habebis jugiter potestatem, sed corona tribuetur tibi in generatione & generatione.* Pastori dicitur Ecclesiæ: Diligenter adhibe curam eis quibus te præesse contigerit: agnosce animos actusque singulorum, & si quid in eis vitii fordidantis inveneris, citius castigare memento. Non enim tu semper oves dominicas pascendi potestatem habebis, sed æterna est corona quam percipies, si commissum tibi gradum tuo tempore bene ministraveris.

*Aperta sunt prata, & apparuerunt herba virentes, & collecta sunt fœna de montibus.* Aperta sunt modis pascua sacramentorum cælestium quæ diu fuerant typis præclusa legalibus. Apparuit novus viror Evangelicæ veritatis & gratiæ: collecta sunt in pabulum gregis dominici, scripta patrum veterum, ablata quidem Judæis superbientibus, falce divinæ animadversionis, & humilibus Ecclesiæ populis, ad spirituale subsidium data. Juxta quod Dominus ait illis: Auferetur, inquit, à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.

*Agni sunt ad vestimentum tuum, & hædi ad agri pretium.* Agnos innocentes, hædos penitentes nuncupat. Agnorum ergo vellere vestieris, dum bonis obedientium discipulorum moribus pastor ipse profeceris, eorumque laudabilia facta cernens, & in ornatu virtutum, & in calore dilectionis ipse gloriosior exiteris. Hædis agrum comparabis, dum peccatores ad penitentiam vocando, sublimiorem tibi in terra viventium locum acquires.

*Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tua, & ad victum ancillis tuis.* Tanta instantia pecus tibi commissum pascere, ne tibi lac æstate novum, ne frigore desit, sed tibi semper tuisque sufficiat: id est: tam sedulo doctrinæ insta, ut etiam quosdam penitentes ad officium docendi provehas, quatenus per illos qui pridem pro fœditate vitiorum ad sinistram judicis videbantur esse ponendi, modo rationabiles & sine dolo, lac verbi parvulis sensu ministraretur. Fit autem lac caprarum ad victum ancillis, quando hi qui nondum amore perfecti, sed adhuc timore servili Domino deservunt, per exemplum vel verba eorum qui per penitentiam salvi facti sunt, vivificis verbi epulis reficiuntur, atque ut ad majora virtutum proficiant incrementa juvantur. Quidam hoc quod dictum est: Aperta sunt prata, & apparuerunt herba virentes, & collecta sunt fœna de montibus: agni ad vestimentum tuum, & hædi ad agri pretium, ita exposuit: Aperta sunt monumenta, apparuerunt corpora rediviva, sequestrati sunt peccatores à sanctis, fœnum ad comburendum de locis excelsis. Sequestrati sunt agni ad dexteram, hædi ad sinistram: agni ad vestimentum regis, quia ipse dixit: Inhabitabo in eis: Hædi pro pretio sanctorum, quibus nocuerunt, ignibus venundantur.

#### Caput XXVIII.

**F**ugit impius nemine persequente. Qui non est in fide fortis, etiam si nullus persecutor insitit, nonnunquam